



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. IV. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

29. Dico 2. DEUS etiam esset beatitudo objectiva creaturæ rationalis in statu puræ naturæ: ita Gormaz de beatitudine n. 113. & alii. Discrimen tamen est hoc, quod in statu elevationis DEUS à Beatīs cognoscatur intuitivè: in statu autem puræ naturæ cognitus fuisset tantum abstractivè. Probatur autem conclusio ratione, quæ etiam quadrat præcedenti conclusioni. Beatitudo creaturæ rationalis in omni statu debet esse satiativa appetitūs rationalis: atqui nullum bonum creatum potest esse ejus satiativum: ergo. ma. est clara; beatus enim non est, qui adhuc rationabiliter anxius, & inquietus, seu necdum satius est.

30. Minor prob. Quæcunque bona creata assignantur antiqui Philoſophi, vel etiam hæretici (quæ ex Lactantio l. 3. div. instit. c. 7. & S. Ambrosio l. 2. de officiis c. 2. refert Tannerus tom. 2. disp. 1. q. 2. dub. 1. n. 1.) reducuntur, vel ad bona fortunæ externa, vel ad bona corporis, vel ad bona animæ: nulla horum, imò nec omnia simul, possunt esse perfectè satiativa: ergo. prob. min. Inprimis bona fortunæ, seu divitiarum, potius sunt bonum utile, adeoque magis sunt medium ad felicitatem, quàm ipsa felicitas, nec tam possessiōe, quàm effusione reddunt hominem beatum: dein ordinantur ad hominem potius, quàm homo ad ipsas, adeoque homo est potius finis ipsarum, ut habet S. Thomas 1. 2. q. 2. a. 1. in corp. Accedit, quod etiam invitis facile eripiuntur: ex quo oriuntur innumera sollicitudines, anxietates &c. Sed nec ab omnibus haberi ad satietatem possunt; cum tamen omnes finem, seu beatitudinem, consequi possit debeant.

31. Eadem fermè est ratio de fama, ac honore, quæ non tam in nostra, quàm aliorum sunt potestate, & facile perduntur: nec ab omnibus possunt ad satietatem haberi. Accedit, ut advertit S. Thomas 1. p. q. 2. a. 3. in corp. quod, si fama, ac honor, vel gloria, falsa sint, in salutate stare non possit beatitudo solida: si vera, tunc supponant excellentiam aliquam in homine, ratione cuius potius homo erit beatus, quàm ratione honoris. Pariter, nec potestas dominativa potest reddere beatum; quia & ipsa caduca, timoribus, vel certè curis, & anxietatibus, plena est. Jam bona corporis, scilicet valetudo, robur, pulchritudo &c. sunt etiam ipsa caduca, & brutis communia, imò in quibusdam irrationalibus meliora, quàm in homine: ergo non possunt esse beatitudo hominis; hæc enim utique esse debet excelsior, quàm felicitas brutorum, ut observavit etiam Aristoteles apud Suarez in 1. 2. disp. 5. sec. 1. n. 4. Ex quo capite etiam rejiciuntur voluptates corporeæ, præterquam, quod istæ sint sordidissimæ, atque sepius infamiæ, ac erubescentiæ plenissimæ: quin imò corpori quoque vel maximè noxiæ: atque adeo hominem magis miserum, quàm beatum reddant.

32. Jam quod spectat ad bona animæ. Inprimis ipsa anima non est quietativa sui appetitūs, sed est subiecta innumeris miseriis, & quærens alibi suam felicitatem, ac beatitudinem, adeoque sibi ipsi beatitudo esse non potest. Ejus autem bona accidentaliter sunt virtutes, & scientiæ: at virtutes, universaliter acceptæ, medium quidem sunt ad beatitudinem assequendam, non verò beatitudo; quia non satiant appetitum, &

R. P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

sunt pluribus difficultatibus in suo exercitio mixtæ, adeoque non afferunt illam delectationem, quæ ad beatitudinem requiritur. Aliud est, quod fortè aliquod exercitium alicujus virtutis, e. g. charitatis, possit esse beatitudo formalis, de quo infra. Quod attinet ad scientias, si hæc sint tantum de rebus inferioribus, non reddunt animam beatam: quomodo enim beatus sit, qui scientiam etiam evidentem habet de rationis & moribus? adeoque scientiæ, vel cognitiones beatificæ, debent esse de ente summo: sed sic stabit formalis beatitudo in cognitione DEI (quidquid sit, an etiam requiratur amor ejusdem, de quo inferius) consequenter ipse DEUS erit objectum beatificum.

33. Tandem, quod ista omnia simul etiam non possint esse beatitudo creaturæ rationalis, probatur. Exceptis solis scientiis, & virtutibus, reliqua ex natura sua sunt caduca (quæ naturaliter perire deberent, supernaturaliter autem non semper conservarentur, neque etiam animabus separatis amplius quadrarent) adeoque natura non potuit in iis constituere beatitudinem immortalis animi, nec partialiter; quia sic magna pars beatitudinis perderetur, nec integra beatitudo æternum duraret, quæ foret magna miseria. Sed & scientiæ, & virtutes universaliter sumptæ, etiam collectivè (exclusis cognitione, & amore DEI) tum ob difficultatem oppositam delectationi, tum ob objectum nimis parvum, nequeunt beare hominem, & minus Angelum. Nec dicas, creata omnia esse infinita; nam non sunt infinitum actu, neque etiam omnia cuique concederentur: & ex concessis plurima essent peritura. Accedit ratio S. Thomæ 1. 2. q. 2. a. 4. in corp. Ista fermè omnia sunt communia bonis, & malis: eorumque etiam, saltem plurimum, usus, potest esse bonus, & malus: atqui beatitudo non compatitur secum aliquod malum; aliàs non esset status optimus, seu supremæ felicitatis: ergo. Plures rationes vide apud S. Thomam loc. cit. Quare, cum in nullo bono creato stare beatitudo possit, debet stare in bono increato, scilicet in DEO: quod erat ostendendum.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

34. **O**B 1. contra 2. conclusionem. Non est possibilis beatitudo naturalis hominis: ergo nulla datur. prob. antec. ordinatio hominis ad beatitudinem tantum datur in statu elevationis: ergo nulla est possibilis purè naturalis: Confirm. 1. Nulla beatitudo naturalis excludit omnem miseriam hominis: ergo nulla est vera beatitudo. Confirm. 2. Homo in statu puræ naturæ esset purus, & quidem essentialiter servus: ergo non posset sibi mereri præmium, seu beatitudinem. Confirm. 3. Si posset natura mereri, aut habere beatitudinem, tunc esset sibi sufficiens, & deprimere-tur ælimatio gratiæ: sed hoc est absurdum: ergo. Resp. Cum fuerit possibilis status puræ naturæ, ut hic suppono tanquam innegabile, utique etiam debuit fuisse possibilis status perfectus

E

ctus

ctus illius naturæ, ita, ut homo pro suo statu tunc etiam consequi potuisset suum ultimum finem, ad quem necessarîo conditus est; si enim finem, ad quem ordinantur, consequuntur, aut saltem consequi possunt, etiam creaturæ irrationalis, quanto magis rationales? In forma. neg. antec. ad prob. dist. antec. ordinatio hominis ad beatitudinem tantum datur in statu elevationis defacto. conc. antec. daretur tantum, etiam tunc, si existeret status puræ naturæ. neg. antec. & conseq.

35. Ad 1. confirm. neg. antec. Cognitio DEI, etiam abstractiva tantum, sed valde intensa, item amor subsequens, specialis quoque protectio DEI, removerent hominem ab omni peccato, morte, aliisque miseriis. Quid autem ex his fuisset essentia beatitudinis, quid proprietates, statuendum erit proportionaliter ad ea, quæ dicemus infra de beatitudine formali supernaturali. Ad 2. confirm. Etiam in statu elevationis homo manet essentialiter servus, nec status filii adoptivi tollit servitutem: sicut ergo homo nunc potest mereri præmium supernaturale merito condigno in actu primo, non verò, anteceden-ter ad promissionem Divinam, merito condigno in actu secundo: ita posset etiam mereri præmium naturale: sed hæc spectant potius ad questionem de iustitia commutativa inter DEUM, & hominem. Ad 3. confir. neg. ma. tunc enim non posset natura acquirere ulla gratiæ dona, quæ tamen nunc potest acquirere: dein beatitudinem non haberet pro libitu, sed deberet eam mereri, & posset ab ea etiam excludi.

36. Ob. 2. Cognitio abstractiva DEI non quietaret intellectum, sed potius accenderet desiderium cognitionis intuitivæ: ergo non posset in ea stare beatitudo formalis: atqui intuitiva cognitio DEI naturaliter dari non potest: ergo DEUS non est objectum beatificum naturæ puræ, sed debet esse aliquid aliud, quod naturaliter intuitivè cognosci potest. Resp. neg. antec. non enim excitaret desiderium inquietum; quia homo abstractivè cognoscens DEUM, haberet omnem felicitatem in eo statu sibi possibilem: ferè sicut dicitur de supernaturaliter Beatis, qui, modò habeant visionem intuitivam DEI, non desiderant perfectiorem, & perfectiorem in infinitum, nec invident aliis melius DEUM videntibus; aliàs, si Beati semper plus, & plus desiderarent, ultra lineam sibi debitam, tandem expeterent unionem hypostaticam.

37. Dices. S. Thomas 1. p. q. 12. a. 1. in corp. ait, ultimam hominis beatitudinem stare in operatione altissima intellectus: ergo in visione intuitiva DEI. Confirm. ex eodem ibidem dicente: *Si nunquam essentiam DEI videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet, quam in DEO, quod est alienum à fide*: & addit, non quiescere desiderium naturale cognoscendi DEUM, nisi per essentiam eum cognoscat. Responderi posset, negando conseq. quia etiam cognitio abstractiva DEI est operatio intellectus altissima in ordine naturæ: melius tamen ad mentem S. Doctoris responderetur, dist. antec. ait, stare beatitudinem supernaturalem &c. conc. antec. beatitudinem tantum natura-

lem. neg. antec. & conseq. Eadem responsio servit ad confirmationem.

38. Sanè agit ibi S. Doctor de beatitudine in statu elevationis, seu de visione DEI per essentiam, hoc est, de visione intuitiva, vel quidditativa DEI. Alibi autem, scilicet 1. p. q. 62. a. 1. distinguit duplicem beatitudinem, unam naturalem, quam, ait, juxta Aristotelem stare in contemplatione DEI perfectissima, quanta scilicet naturaliter dari potest: alteram verò supernaturalem, quam, ait, stare in visione DEI, sicuti est. Quando autem S. Doctor q. 12. prius cit. ait, homini inesse naturale desiderium cognoscendi primam causam, debet exponi de cognitione naturæ proportionata.

39. Vel, si S. Doctor intelligit cognitionem quidditativam, debet exponi, non de desiderio, omnino strictè naturali, sed de tali, quod, etsi non expleatur, tamen non fiat violentia: & quod quidem absolute possit remanere inane, sive non satisfiatum, non tamen debeat tale remanere, sed possit expleri, sicut actu expletur in Beatis. Et sic sanè exponendus est. cit. q. 12. ne sibi, & aliis omnibus contradicat. Rursus, quando alibi Angelicus dicit, non esse perfecte beatum illum, cui adhuc restat aliquid desiderandum: vel, quando ait, imperfectum semper desiderare suam perfectionem: intelligendus est de re, vel perfectione sibi debita, desideranda, & de imperfecto possivè tali; aliàs creatura nunquam posset esse beata, ut patet consideranti.

40. Ob. 3. S. August. 1. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 26. ait, non esse locum medium, sed hominem, vel debere esse cum Christo, vel cum diabolo. Rursus idem S. Augustinus contra Julianum sæpe ait, DEUM non posse imaginem suam nulli peccato obnoxiam privare vitæ æternæ: ergo non est possibilis beatitudo, nisi, quæ defacto datur supernaturalis. Confirm. Idem S. Doctor 1. 1. confess. c. 1. ait ad DEUM: *Pecipimus ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*: ergo. Resp. Sensus objectus primo loco nullis verbis exprimitur: nihilominus dist. ant. & loquitur de hac providentia, & statu elevationis. conc. antec. de omni providentia, & etiam statu naturæ puræ tantum possibili. neg. antec. & conseq. Ad 2. locum servit eadem responsio: scilicet DEUS hoc non potest in statu elevationis, in quo iustis promittit vitam æternam. Ad confirm. dist. conseq. Inquietum est cor, donec requiescat, quiete sibi debita. conc. conseq. indebita, seu supernaturali. subdist. in hac providentia, in qua, vel datur quies supernaturalis, vel nulla. conc. conseq. in alia providentia. neg. conseq.

41. Ob. 4. Cognitio abstractiva DEI non est possessio ejusdem: ergo DEUS non potest esse beatitudo objectiva in statu puræ naturæ. prob. conseq. beatitudo objectiva debet posse possideri: atqui DEUS non potest possideri in statu puræ naturæ; quia tantum potest de ipso haberi cognitio abstractiva quæ non est possessio ejus: ergo. Confirm. 1. Beatitudo objectiva est illa, quæ representatur per formalem: atqui per formalem, si hæc sit cognitio DEI abstractiva, representantur tantum res create: ergo. Confirm. 2. Perfectior esset cognitio intuitiva Angelorum, quam abstractiva DEI: ergo

ergo potius illa erit beatitudo. Resp. neg. antec. Possessio tantum debet esse intentionalis, hoc est, intellectualis perceptio, qualis etiam est cognitio abstractiva, licet imperfectior, quam intuitiva. Ad 1. confirm. dist. ma. beatitudo objectiva est illa, quæ representatur, vel immediate in se, vel mediate in alio. conc. ma. est tantum illa, quæ representatur immediate in se. neg. ma. & dist. mi. representantur res creatæ immediate in se. conc. mi. mediate in alio. neg. mi. & conseq.

42. Ad 2. confirm. In primis cognitio intuitiva Angelorum potest simul esse abstractiva DEI; quia in Angelis, tanquam in medio, potest DEUS abstractivè cognosci, quo casu una non est perfectior altera; vel certe hæc cognitio esset perfectior aliâ, quæ tantum esset intuitiva Angelorum, & non simul abstractiva DEI. An autem cognitio tantum intuitiva Angeli sit physicè perfectior alia cognitione, quæ esset intuitiva alicujus inferioris creaturæ, & simul abstractiva DEI, nihil facit ad rem; quia tamen illa non esset beatificans; cum non esset possessio summi boni, cujus solius possessio potest beatificare. Unde in forma. om. antec. neg. conseq. ex ratione modò data. Addo tamen, cognitionem abstractivam DEI non debere esse intuitivam qualiscunque ignobilis creaturæ, sed valde perfectæ, saltem substantiæ spiritualis, aut Angeli; in his enim, tanquam perfectioribus speculis, magis relucet DEUS.

QUESTIO II.

De Beatitudine Formali Supernaturali.

ARTICULUS I.

In quo consistat Essentia Beatitudinis Formalis.

43. **B**eatitudo formalis est idem, ac forma constituens, vel denominans beatum: de qua Boëtius, de consol. Philosoph. l. 3. sub initium prose. 2. sic scribit. *Liquet igitur, esse beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum*: unde S. Thomas 1. 2. q. 2. a. 1. arg. 2. ait: *Secundum Boëtium in 3. de consol. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Quæ definitio, etsi communiter recepta sit, tamen non convenit beatitudini, tantum essentialiter sumptæ, sed accidentaliter, & integraliter acceptæ; ad hoc enim, ut quis sit in tali statu, sive, ut denominetur beatus, non sufficit sola forma, sed requiruntur plura alia, negativa, & positiva, quæ, sive ut conditiones, sive ut partes, negativæ, aut positivæ, requiruntur, ut detur totus ille status; ut enim diximus tr. de DEO num. 790. & alibi, non requiritur sola forma, sed plura alia ad denominationem: quare aggregatio omnium bonorum videtur plus dicere, quam tantum beatitudinem formalem, essentialiter sumptam. Melius dicitur beatitudo formalis esse possessio beatitudi-

nis objectivæ, sive DEI: & de hac quæritur, in quo ejus essentia consistat.

44. In quatuor potissimum opiniones abeunt Auctores. Prima est, quæ tribuitur Henrico Gandavensi quodlibet. 13. q. 12. scilicet, beatitudinem formalem stare in illapsu Divinæ essentiae in animam, vi cujus non tantum detur aliqua intentionalis, sed etiam aliquid realis, unio beatitudinis increatæ cum creatura beata, quam unionem, ait, fieri per circuminjectionem, non animæ illabentis Divinitati, sed potius è converso Divinitatis illabentis in animam. Ita hunc auctorem intelligunt Tannerus, Gormaz, & alii, quamvis fateantur, eum obscure loqui, uti sanè loquitur: & hinc Valquez eum excusat. Alii autem dicunt, dubium esse, an de formali, an de objectiva beatitudine loquatur.

45. Huic sententiæ sic explicatæ affines sunt quidam Doctores Parisienses, qui beatitudinem formalem constituerunt in ipsa operatione increata, vel visione, & possessione, quæ DEUS se, & alia videt, quæque aliquo modo uniatur animæ beatæ. Sed tam hæc, quam prior opinio, vel explicatio opinionis, nunc deferitur ab omnibus, & merito; quia in Scripturis beatitudo nostra formalis vocatur saepe vita æterna: sic Joannis 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum*: ergo debet esse operatio vitalis, atque adeo à nobis producta, & non tantum nobis, passivè nos habentibus, illapsa. Rursus Divinitas plusquam moraliter nemini unitur, præterquam naturæ humanæ Christi.

46. Altera sententia est Thomistarum, & plurium aliorum, etiam ex nostris, asserentium, essentiam beatitudinis formalis consistere in sola visione beatifica. Tertia est Scotistarum, volentium, eam consistere in solo amore beatifico, quibus accedit Ægidius, & alii. Quarta est S. Bonaventuræ, Hugonis de S. Victore, Vegæ, Richardi, Alberti, Suarezii, Molinæ, Lessii, Amici, Ulloæ, Haunoldi, Gormaz, & plurium aliorum, quos vide apud Suarez in 1. 2. tr. 1. disp. 7. sec. 1. n. 24. docentium, essentiam beatitudinis formalis complecti tam visionem, quam amorem: cum quibus & ego sentio.

47. Probatur conclusio. Scripturæ & PP. debent, quantum possunt, ita accipi, & exponi, ut sibi non contradicant: hoc non fit, nisi dicatur, beatitudinem essentialem stare in visione, & amore: ergo, major est communis. mi. prob. quidam textus Scripturæ, & etiam Patrum, dicunt, beatitudinem stare in visione; quidam in amore, quidam in utroque: sed hi sine contradictione exponi non possunt, nisi dicatur, in quolibet istorum seorsim stare beatitudinem inadæquatam, in complexo verò adæquatam: vel in visione beatitudinem expressivam, in amore affectivam, in utroque totam: ergo, prob. mi. si aliter possent conciliari, tunc v. g. dicendo, quod aliqui textus loquantur de beatitudine essentiali, alii de integrali, vel accidentali: sed hæc expositio est sine sufficienti fundamento alata: ergo, prob. mi. non est ullum signum, ex quo colligatur, quod Scripturæ, vel Patres, in uno casu aliter beatitudinem accipiant, quam in alio, ut patebit ex textibus mox afferendis: ergo.